
581.945
V83

FLORÆ ITALICÆ

FRAGMENTA,

SEU

PLANTAE rariores, vel nondum cognitæ, in variis Italiæ regionibus detectæ, descriptionibus, et figuris illustratæ

A D. VIVIANI

Medic. Doct. in Imperiali Athenæo Genuensi Botanices et Historiæ Naturalis Professore, Scholarum Medicinæ, et Pharmaciæ ejusdem Athenæi Membro etc.

FASCICULUS PRIMUS

CUM TABULIS ÆNÆIS XXVI.

Se tu avessi ornamenti quant'hai voglia
Potresti arditamente
Uscir dal bosco, e gir infra la gente.

PETRARCA.

GENUÆ, Typis J. GIOSSI, in platea Vinearum N. 422.

[1808]



PRÆFATIO.

Hujusce operis Prodromum in Annalium Botanicorum vol. 1, parte 2.ª duobus abhinc annis evulgavi, ubi octoginta et amplius species in diversis Italiæ regionibus a me collectæ, quarum viginti quatuor nondum detectæ, reliquæ descriptionum defectu minus cognitæ, vel synonimorum ambagibus irretitæ, criticis disquisitionibus institutis, illustrantur. Floram Italicam universam, ad scientiæ incrementum, simulque Italiæ decus, audaciori fortasse conamine jamdiu molitus, fasciculis aliquo sese ordine excipientibus, ea constitui typis mandare, quæ per peregrinationes haud intermissas mihi spectanda occurrant; ut ex hisce tandem Fragmentis corpus integrum Botanicis exoptatissimum, possit compingi.

In iconibus parandis, elaboratæ graphicæ artis gloriolam duxi abdicandam, ut plantarum imaginibus, nullo fuco exornatis, suaque se simplicitate commendantibus, vulgatiori earumdem cognitioni prospicerem. In hisce enim, propria manu, exarandis animo insederat, characteres plantarum, Botanicorum omnium consensu, in quadruplici tantum partium inspectione, videlicet situ, figura, proportione, ac numero, ita comprehendi, ut quæ aliunde petantur notæ, lubricis mutationibus perpetuo obnoxiæ, specierum discrimina obnubilent potius, quam collustrent. Qui characteres, castigata delineandi ratione, sine ullo artificum lenocinio apprimè exhibentur: imo ea ipsa (ut ut minuscula videantur) quæ a vestitu, ut ajunt, desumuntur, facilè, et quidem ad veritatem consonè, in albo foliorum disco, exprimi possunt. Hinc folium villosum potius quam hispidum, vel hirsutum, vel tomentosum, oculis subiicimus; quæ partium affectiones coloribus offuscantur, vel graphio attingi, præterquam in foliorum

margine, nullimode possunt, uti et Sellierii, et Redoutei, et Andrewsii, vel Sowerbei tabulas inspectanti in oculos statim incurrit. Hinc absque scientiæ detrimento, Plantarum Italicarum commodæ cognitioni consuluisse gaudemus; nihil inde veriti si opus nostrum elegantioribus Pinacothecis interdictum, Botanicorum manibus teratur, et ad Botanicen amplificandam, pro suo modulo, conferat.

Ne vero in novitatis studium mihi vertant Iconographi hanc delineandi rationem, noverint ipsi, usque a primis scientiæ incunabulis, summos in arte viros eam præoptasse, Brunsfelsium, et Fuchsium, et Mathiolium, et Plumerium, quorum sanè exemplum maximi est ponderis. Quod si horum Auctorum icones non semper Botanicorum votis respondent, id omnino tribuendum delineandi peritiæ adhuc minus excultæ, lignearum quibus imagines excipiebantur tabellarum asperitati, ac præsertim structuræ partium, e quibus existit fructificatio, inscienter neglectæ. Icones vero, recentiori ævo, sub eadem artis parsimonia, prolatas, speciebus Plantarum sistendis abunde sufficere, Botanici præstantissimi uti Linnæus in Floris Zeylanica, et Laponica, Vahlius in Symbolis, Michausius in Flora Boreali-Americana, Desfontanesius, Jussiæus, et Smithius passim in operibus periodicis, ubicumque generis cujusdem monographiam adgrederentur, citra dubitationis aleam posuere.

Neque minus quam ab Iconographorum luxuria, in hoc opere coagmentando, ab eorum sententia recedendum existimavi, qui præter descriptionem et iconem nil ultra, pro speciei alicujus illustratione, requiri pro certo habent: qua de re synonima singulis speciebus pro more adjecta tuto negligi posse, imo etiam, ætate veluti obsoleta, exulatum abigenda esse contendunt; perinde

ac si veterum Botanicorum testimonia, tanta cura, et studio a summis viris collecta, eo tantum collimarent, ut speciei alicujus facies innotesceret, non vero viam quoque sternerent, ut quid de ea docta saperet antiquitas, compendiaria per synonimiam, ut ajunt, methodo, facilè perquireretur. Non ae enim Botanicis Scriptoribus seculi præsertim XV, et XVI ingenii tenuitas, ut nihil ultra plantæ nomen, et iconem suis operibus traderent: Tanta eo ævo doctrina, tanta veterum Auctorum cognitio cum Botanices studio conjungebatur, ut in eorum scriptis, systematico licet ordine destitutis, quidquid Plantarum cognitio in veterum Latinorum, et Græcorum libris enucleandis, in Poetis præsertim georgicis explicandis, in medicis earumdem viribus perquirendis, in scientiæ tandem historia retexenda, adiumenti afferre potest, incredibili pene studio, miraque eruditione undique collectum reperiatur. Quæ omnia sicco pertransire pede ignorantiæ in barbariem vergentis est: Fucatæ enim icones, licet undique artis lenociniis intumescant, non ultra oculos animum afficiunt; at ubi veterum scriptorum doctrinâ, synonimorum ope, ditari queant, suavi oblectatione toti perfundimur, quod Botanices imperium per prisca tempora ita late patescere videmus, ut nihil unquam a præstantissimis viris pro scientia illustranda peractum fuerit, quod a nobis in ejusdem emolumentum verti non possit.

Hæc animo perpendens, summorum Botanicorum Linnæi, Vahlii, Desfontanesii, Jussieui, Labillardierii, Smithiique auctoritate fultus, veterum Scriptorum monumenta, pro speciebus italicis illustrandis, qua maxima potui sedulitate, perquisivi. Hinc mirum fortasse cuipiam videri poterit, priscis Botanicis quamplurium specierum cognitionem amandare haud fuisse distentum, quas

si fiderem recentiorum de iisdem silentio, novas veluti mihi arrogare facile esset. At apud graviores, æquioresque Botanicos haud inde credam mihi quidpiam detractum iri, quorum suffragia diligentia potius quam novitatis gratia mereri studeo, et exopto. Haud illud enim viros accuratissimos fugerit, oblivioni jamdiu traditas species duplici jure eum sibi vindicare posse, ut recens inventas qui easdem in natura primum, inde in veterum Botanicorum libris reperiendas adsumpserit. Qua methodo si recentiorum quorumdam innovandi libidini minime studuisse videar, id ipsi sibi vitio vertant. Quid enim ineptius quam novis divitiis regnum vegetabile sua cura locupletatum jactare, quod species nonnullas, synonimorum incuria, mox obsoletas, mutato nomine novas veluti in Plantarum Elencho intrudere curaverint? Qua synonimorum incuria tot commentitiæ in Botanicorum libros irrepsere species ut qui, criticis disquisitionibus institutis, easdem expungerit, et a legitimis segregaverit, multo magis scientiæ incremento consuluisse gloriari queat, quam si novis inventis eamdem ditescere adlaborarit.

At vero in Plantis Italicis præcipue illustrandis synonimorum animadversio nunquam satis inculcanda: Regionem enim feraci solo, et vario cœli aspectu jamdiu spectatam, Botanici solertissimi, a scientiæ primordiis ad nostra usque tempora, longe lateque pervagati sunt: Plura etiam nostrorum cura ea sedulitate collecta fuere, et geographicis limitibus sic circumscripta, ut singulæ fere Italiæ regiones patriis nunc floris ornentur, superbiantque. Hinc mirari desinemus, recentiorum frequenter inventa, et species ipsas minoris momenti characteribus commissas, nonnullis abhinc seculis Botanicis innotuisse, ut quidquid earumdem cognitioni necessarium ducerent haud illos omisisse. Cum

vero institutis tunc continuè peregrinationibus, speciebus nostris perquirendis pertinaciter vacaverint, nihil nos in earumdem cognitione ultra ipsos profecisse fatendum est, quin species omnes eorum scriptis traditæ, nostra cura, et studio reviviscant. *Non enim, ut optime de iis sensit immortalis Hallerus, antiquanda sunt quæ in tanta peritia* sanxerunt.

Huic methodo addictus, operis hujus specimen, in Annalium Botanicorum vol. 1, p. 2.ª anno 1805, eo animo typis committere curavi, ut quæ propria sententia mihi suaseram, Botanicorum suffragio, ubi recte de scientia sentirem, firmaretur. Horum autem judicia votis haud defuisse et præstantissimorum virorum litteris, et prolatis in nonnullis Germaniæ operibus periodicis ab iisdem sententiis, et mutationibus receptis, jucunda animi delectatione, gratoque officio perspexi. Quibus in novas peregrinationes arrectis viribus, Liguriæ speciebus investigandis (neque enim publicum docendi munus remotiores Italiæ regiones petere sinebat) totus incubui. Illud enim animo conceperam, ut regionis, pro cœli suavitate ditissimæ thesauros, partim in meis Botanicis annalibus a me relatos, partim a Cl. Bertolonio populari meo publici juris factos, novis additamentis locupletatos in Botanicorum frugem converterem.

Hinc Ligusticas species, a Botanicis Genuensibus minime prætermissas, in ultimam Floræ Gallicæ editionem recipere facile erat Cel. Decandollio: Quod si peregrinationibus apud nos, pro re herbaria, institutis, ipsi nonnullas adhuc autoptis prætervisas reperire contingat, toto animo gratulabimur; quod AUGUSTI NAPOLEONIS faventibus auspiciis, ea illi commodius perficere datum fuerit, quæ nos, scientiæ tantum amore et illecebris suffulti, adgredi haud omisimus.

Dabam Genuæ Kalendis martii 1808.

INDEX

Specierum hoc fasciculo contentarum. (*)

(*) Iconum numerus, et figurarum citatio juxta hunc Indicem recipiatur, cum errores nonnulli in ultimo præsertim folio irrepserint.

SANTOLINA PINNATA. (Tab. I.)

S. glabra; pedunculis unifloris; foliis pinnatis, pinnis linearibus, brevissimis, acutis.

Caulis suffruticosus, erectus, striatus, a basi ipsa in ramos divisus, simplices, unifloros, parce foliosos. Folia petiolata, pinnata, seu potius dentato-pinnata, pinnis linearibus, brevibus, acutis, extimis quandoque confluentibus, interioribus brevioribus. Flores dilute flavescentes. Calix hemisphaericus, imbricatus, foliolis adpressis, ovato-acutis, carinatis. Corollulae plurimae, calyce duplo longiores, limbo quinquefido, laciniis linearibus, acutis. Receptaculum paleaceum: paleis carinatis, longitudine seminum. Semina oblonga, striata. Pappus nullus. Tota planta lutescens, glabra.

Reperi frequentissimam in montibus marmoreis Carrarensibus anno 1802, eamdemque paulo post, phrasi tantum specifica, indicavi in Elencho Plantarum H. Botanici Di-Negro.

POTAMOGETON OBLONGUM. (Tab. II.)

P. Foliis omnibus natantibus oblongis; stipulis petiolo triplo brevioribus.

P. oblongum. (*Viviani Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 102.)

Caulis articulatus, simplex, teres, internodiis superioribus adproximatis, inferioribus magis elongatis, in radicem repentem abeuntibus. Folia omnia conformia, et natantia quatuor centim. longa, duo centim. lata, longe petiolata, oblonga, apice acutiuscula, subtus nervosa, rufescentia; petioli superne plani; stipulae triplo, quandoque etiam quadruplo petiolis breviores, membranaceae, amplexicaules, marcescentes. Pedunculi axillares solitarii, foliorum longitudine. Spica cylindrica 2 centim. longa: flores subverticillati, contigui. Semina glabra, rotundata, basi compressiuscula.

Reperi in paludosis summi verticis montis *Scaggia*, supra Pegli, in Plaga occidentali Liguriae. ♃

Obs. E loco suo natali in hortum Grimaldianum advexi, ubi quinque abhinc amnis, immutata facie sponte propagatur. A. P. *natante* habitu constanter longe minori distinguitur. Differt vero praecipue foliis oblongis, non vero late ellipticis; item petiolorum respectu, stipularum longitudine etc. etc.

GLOBULARIA INCANESCENS. (Tab. III.)

G. Caule herbaceo; foliis canescentibus, radicalibus spathulatis, integerrimis, caulinis ovato-lanceolatis.

Caulis herbaceus, teres, rigidulus, foliosus, 10-12 centim. longus, apice uniflorus. Folia canescentia, margine scariosa, radicalia longe petiolata, late spathulata, subundulata, integerrima; caulina ovato-lanceolata, sessilia. Anthodii foliola lineari-lanceolata. Calyx quinque-partitus, hirsutus, laciniis linearibus acutis. Corolla, purpurea irregularis, labium inferius trifidum; laciniis linearibus, superius lacinia unica subaequali. Reliqua G. *vulgaris*. ♃

Reperi in montibus Carrarensibus cum Santolina pinnata, Hyperico Choris, Lithospermo graminifolio, Selino rigidulo, Centaurea arachnoidea, Eryngio circinnato, aliisque rarioribus, vel novis speciebus, paullatim in hoc opere evulgandis.

Obs. Praeter notas indicatas differt a G. *vulgari* habitu constanter elatiori, licet aridissimas rupes incolet calcareas.

ECHIUM CALYCINUM. (Tab. IV.)

E. Corolla subregulari; staminibus duplo brevioribus; calycibus in fructu, inflatis, cernuis.

E. Calycinum (*Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 164.

Echium annuum, folio Lythospermi arvensis, flore caeruleo parvo Micheli: *Tilli Hort. Pis.* pag. 56, tab. 23, f. 3, *non bona.*

Buglossum scorpioides hirsutum, flore caeruleo. *Bocc. Mus.* 163, *tab.* 132.

Fortasse hic spectant etiam duo synonima sequentia, quod Autoptae determinent:

Buglossum sylvestre minus flore parvo retuso. *Bar. icon.* 1253, *p.* 16, *num.* 149.

Echium montanum parvum caeruleum. *Cupani p.* 67.

Tota planta hispida. Caulis 15-24-centim. altus, adscendens, a basi ipsa ramosus, tuberculis sanguineis obsitus. Folia radicalia oblonga, acuta, hispida, villis nonnullis triplo longioribus. Flores in spicam secundam, apice vix revolutam, dispositi, remotiusculi, subsessiles, supraxillares. Calyx quinquepartitus, foliolis (in flore) lanceolato-oblongis, conniventibus, corolla duplo brevioribus, (in fructu) calyx inflatus, laciniis irregulariter reflexis, et contortis. Corolla pallide caerulea, extus hirsuta, limbo oblique truncato, quinquelobo, subregulari; stamina corolla duplo breviora; stylus longitudine calycis, totus hispidus; stigma bifidum. Semina quatuor, incurva, trigona, tuberculata.

Reperi, una tantum vice, in Liguria, prope Genuam, in collibus maritimis *S. Nazzaro.* In Apuliae maritimis, et in agris et olivetis, circa Cajetam *Micheli.* In Corsica *Boccone.* Romae, via qua a Basilica S. Mariae Majoris ducit ad Basilicam S. Crucis in Hyerusalem inter arbores in fossarum ageribus *Barrellier*, neque alibi unquam observatum fuisse addit.

Obs. Rara, aeque ac elegans Echii species, in citatis veterum Botanicorum operibus male descripta, imperfectisque iconibus commissa; hinc a Linneo, reliquisque Specierum plantarum editoribus usque adeo neglecta fuit; at eo magis spectandam puto quod, calycis structura, Anchusae, et Lycopsidis generum affinitatem cum Echii demonstret.

LITHOSPERMUM GRAMINIFOLIUM. (Tab. V.)

L. Caule suffruticoso; foliis linearibus scabris, margine revolutis.

L. Graminifolium. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 163.

Lithospermum angustifolium umbellatum, *Bah. Pin.* 238, 517. *Plukn.* 42, *fig.* 7. *Bocc. sic. p.* 77, *tab.* 41, *fig.* 11. C.

Planta densos caespites efformans. Caulis 12-20 centim. altus, simplex, foliosus tomentosus, basi foliis emarcidis fultus. Folia sessilia, adproximata, linearia, reflexa, acuminata, superne scabra, intense viridia, inferne incana. Flores terminales, in spica 3-5fida, subrevoluta, secunda, dispositi. Calyx quinquepartitus, laciniis linearibus acutis, tubo corollae duplo brevioribus. Corolla caerulea, tubulosa, limbo quinquefido, laciniis ovatis, fauce nuda. Stamina cum laciniis corollae alternantia. Antherae lineares, subsessiles. Stylus corolla longior, persistens. Semina ossea, nitidissima.

Reperi ad radices montium marmoreorum Carrarae, in Hetruriae finitimis. In montibus Euganeis *Marsani.* ♃

Obs. Planta in Italia tantum hactenus observata, ubi raro etiam occurrit. Nullibi, licet ditissima revisere datum fuerit herbària, et hortos, eamdem reperi. Hanc Linnaeus in Seguierii, et Arduinii fidem in *Supplemento* excepit, nulla vero ejusdem mentio, hosce apud auctores, invenitur. Neque fortasse ex siccis speciminibus, vel alienis descriptionibus, recte de hac sentire potuit idem Clar. Auctor, qui a Lithospermi genere, contra fructificationis notas omnes, eamdem disgregavit. Pleniorem speciei hujus cognitionem haud reddunt synonima, quibus in *Suppl.* fulcitur. J. Bahuinus, qui ex Horto Patavino eamdem habuerat, imperfectissimae descriptioni committit. Vix quidquam melius a Bocconio additur, licet hanc, non omnino spernenda figura, exhibeat. Pluknetius, Bocconii tantum synonimum excribit, addita tabula tam male speciem hanc exhibente, ut aliae speciei repraesentandae destinatam crederes, nisi pessimae figurae, in eodem opere, frequenter occurrerent. Illud etiam adnotandum, quod cum Bocconius hujus speciei figuram, eadem pagina secus illam L. *purpureo-caerulei* Jacq. collocaverit, cui adfinitate quadam conjungitur, cum eadem specie, vel cum ejusdem varietate a nonnullis confunditur.

In montibus Euganeis etiam, pulcherrimam hanc speciem, reperiri De Marsani Vicentinus, Botanices, et Historiae naturalis studiosissimus, mihi retulit.

ROSA ATRO-VIRENS. (Tab. VI.)

R. germinibus ovatis, pedunculis, calyceque aculeato-glanduliferis; caule, petiolisque aculeatis: foliolis elliptico-acuminatis, nitidis, argute serratis.

R. Atro-virens: *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 171.

Caulis aculeis rariusculis, basi dilatatis, recurvis, validis, remotis armatus. Folia bi-3juga, summa quandoque ternata. Foliola elliptica, acuminata, utrinque nitida, rigidula, superne atro-virentia, argute serrata, serraturis apice nigricantibus; impari tantum petiolato. Petioli rariter aculeati, bracteae ciliato-glandulosae. Flores corymbosi, pedicellis quandoque binis, 4ternisve, simul veluti in umbellam erumpentibus, toti aculeis glanduliferis una cum germine, et calyce tectis. Calicis laciniae integrae ovato-acuminatae, corolla duplo breviores, intus rufo-villosae. Petala alba, obovata, obtusè emarginata, seu potius biloba. Germen ovatum.

Reperi in Liguriae Promontorio *Portofino*, prope aedes Gnecco. ♄

ERICA RAMULOSA. (Tab. VII.)

E. antheris cristatis, foliolis quaternis reflexis; floribus umbellatis; corolla tubulosa quadrifida; laciniis in tubum coeuntibus, apice tantum revolutis.

E. ramulosa. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *pag.* 169.

Frutex ab 1/2 ad 1 met., ramis undique sparsis, divaricatis, virgatis, apice quandoque umbellae loco in ramulos veluti umbellatos erumpentes; cortice nudo, rimoso, rufescente. Folia quaterna, adproximata, patula, ramorum basi praesertim reflexa, quandoque veluti bifaria, 1/2 centim. longa, 1 millim. lata, superne convexiuscula, margine subreflexo, cum pagina inferiore connato, linea virescente per dorsum exarata. Flores in extremis ramis umbellati, cernui, breviter pedunculati, dilutae purpurei: umbella 10-15 flora: pedunculi corollâ paulo breviores, bracteis unâ alterâve lineari suffulti. Calix 4phillus, corollae adpressus, ipsâ triplo brevior, rubescens, foliolis lanceolato-acutis, extus lineatus. Corolla tubulosa, quadrifida, laciniis in tubum ita dispositis ut corolla non reapse quadrifida, sed ore tantum quadridentato appareat. Stamina corollâ duplo breviora. Antherae cristatae. Stylus vix exsertus.

H. in littore Neapolitano : *Nicodemi*. ♄

Obs. Ericae *umbellatae* nomine, Neapoli, D. Hippolito Duratio Botanices Fautori studiosissimo, missa fuit. Cum de ejusdem loco natali Nicodemum olim Neapoli, inde Lugduni Hortus Botanici Praefectum peritissimnm sciscitarer, in littore Neapolitano hanc reperiri asseruit, eamque Clariss. Cyrillum, novam voluti speciem, publicis juris facere cogitasse. Cum per 4 annos eamdem in Horto Botanico olim Duratiano, nunc Di-Negro cultam observassem, absolutam de eadem descriptionem, et iconem parare potui.

GENISTA SCARIOSA. (Tab. VIII.)

G. (inermis) ramis triquetris; foliis simplicibus, margine scariosis, rameis lanceolatis, caulinis obovatis; leguminibus subfalcatis nudis.

G. Scariosa. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 175.

G. Januensis. *Viviani*, *Elench. Pl. H. Botan. Di-Negro p.* 10. *anno* 1802 — *Bertol. Pl. Jan.* 1804.

Caulis adscendens, a basi ipsa in ramos divisus, contortus, obsolete angulatus, angulis in squamis fatiscentibus. Rami, juniores praesertim, exquisite triquetri, foliosi. Folia omnia simplicia, sessilia, margine scariosa, quae in ramis junioribus primo anno prodeunt lineari lanceolata, e quorum axillis sequente anno vel novi rami, vel folia 2-3 eodem etiam puncto prodeunt, breviora, obtusa, quandoque obovata, et emarginata. Stipulae 2 minimae setaceae ad ramulorum, et foliorum basim. Flores flavi, in extremis ramis racemosi, racemis

foliosis. Pedunculi rubescentes solitarii, superne bracteis 2-3ve minimis, muniti. Calyx profunde 5dentatus, dentibus acuminatis, duobus superioribus profundius incisis. Vexillum plicato-concavum: Alae deflexae, lineares, obtusae, Carina paulo breviores. Carina basi bipartita. Stamina monadelpha. Siliqua 4-7 sperma, subfulcata, compresso plana, apice stylo persistente acuminata, saepe medio coarctata, semine aliquo abortiente. Tota planta glaberrima.

Reperi in collibus Ligusticis: Genuae, *in Oregina; Pegli, sotto S. Alberto. Nell'Isola Palmaria, sulla cima verso il mare a mezzodì.* ♄

Obs. Speciem hanc ut videre est in adnotationibus ad *Cat. Hort. Di-Negro*, eamdem olim suspicabar, ac G. *triquetram* Herit. *Prodr. St. nov.* cui Auctor hic in synonimon adduxerat Genistae speciem a Tournefortio in Insula Palmaria, in Plaga orientali Liguriae, collectam, et in ejusdem Herbario repertam: hinc Insula haec pro Genistae *triquetrae* patria ab Heritiero sistitur. Cum plantae hujus praecipuè determinandae causa diversis anni temporibus Palmariam peterem, totamque pervagarem, novam reapse Genistae speciem, hujusque generis solam, ibi laete vigentem reperi, quae dum Tournefortii speciei cum nostra identitatem firmabat, Heritieri plantam vel omnino diversam, vel ex sicco specimine inexacte descriptam testabantur. Nostra enim foliis omnibus sessilibus, simplicibusque gaudet, contra petiolata, et ternata ab Heritiero dicuntur. At non diutius hisce ambagibus detinebar, nam speciem a nostra, et hinc a Tournefortiana omnino diversam observavi in Heritieri plantis siccis, et inaeditis iconibus, quas Clariss. Decandolii gratiâ, Parisiis revisere datum fuit. Haec foliis quidem ternatis, petiolatisque gaudet: Heritierus, Decandolii fide, eamdem coluerat ex seminibus e Germaniae horto quodam missis. Hinc in *Her. Prodr.* pro hac specie excludi debet locus natalis, et Tourn. synonimon, utraque enim ad nostram spectant. In *Spec. Pl. Willd.* Heritieri Prodromi species, in hujus auctoris fidem, recensetur, at pro loco natali non amplius Insula Palmaria, sed Corsica citatur, quanam vero auctoritate ignoro. *Januensis* nomen, quo primum in citato Cat. eamdem evulgavi, utpote severioribus nomenclaturae legibus minus consentaneo, in longe aptiorem (*scariosae*) mutavi, quod essentialem differentiae notam exhibet. Cui mutationi eo facilius indulsi, quod species haec in Catalogo tantum evulgata, solaeque specificae definitioni commissa, nondum apud Botanicos firmius invaluerat.

CISTUS OVATUS. (Tab. VIII. fig. 2.)

C. suffruticosus; stipulatus, hispidus; foliis superioribus ovato-acutis, inferioribus subrotundis.

C. Ovatus. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 174.

Caules decumbentes, suffruticosi, basi ruffescentes, ramosissimi, hispidi,

uti et tota planta. Folia ovato-acuta, opposita, brevissime petiolata, ciliata, utrinque hispida, margine plano, intense viridia, inferiora subrotunda, saepius emarginata. Stipulae erectae, lineari lanceolatae. Flores in racemum brevem, secundum, dispositi. Bracteae, seu potius folia floralia, ad pedicellorum latera erumpentia, lineari-lanceolata, undulata, pedicellos aequantia. Calycis foliola latiora trinervia, nervis pubescentibus. Petala tenuissime crenulata, flava, calyce duplo longiora. Stamina uti in nonnullis congeneribus, tactu retractilia: Fructus reflexi.

Reperi in montibus silvosis Viterbum inter, et *Ronciglione*. ♄

ORNITHOPUS LOTOIDES. (Tab. IX.)

O. foliis inferioribus ternatis, superioribus pinnatis; omnibus sessilibus.

O. Lotoides. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 177.

Radix simplex, perpendicularis. Caulis suberectus, subinde ramulosus, teres, villosus. Folia inferiora ternata, sessilia, duo lateralia longe minora, subrotunda, quandoque reniformia; extimo ovato, basi attenuato; superiora *Loti tetraphylli* aemula, pinnata pinnis bijugis, interioribus ad basim petioli, formâ, et magnitudine inferiorum, extimis oblongis, cuneiformibus, imparem, magnitudine aequantibus. Stipulae oppositifoliae binae, acutae, minimae, caulem arcte semi-amplexantes. Pedunculi axillares, nudi, foliis paulo breviores, biflori. Calix brevis, quinquedentatus. Corolla lutea. Legumen arcuatum, articulatum, articulis incrassatis, apice stylo persistente munitum.

H. in littore Neapolitano ⊙ *Nicodemi*.

Obs. Habitu Lotum *tetraphyllam* refert. Proximus quidem O. *scorpioidi*, cum eodem vero, neque varietatis titulo, sociandus. Differentiae notas abundè suppetunt foliolorum numerus, et forma: constantissime enim omnia ternata reperiuntur in O. *scorpioide*; magnitudinis etiam ratio inter folium extimum, et duo interiora in *Scorpioide* differentiam sistit, quae in Lotoide longe diversa. Tandem folii extimi forma in hoc obovata, in *Lotoide* oblonga, cuneiformia etc.

BELLIUM BELLIDIOIDES. (Tab. X. fig. 1.)

B. scapis nudis, filiformibus. *Lin. Mant.* 285, *excl. syn.* Triumfetti.

Bellis maritima minima, roris solis folio, cyrenaica. *Bocc. Mus.* 149, t. 107.

Bellis annua *Linn. Sp. Pl.* 1249 *synonima mixta cum specie sequenti*, *et vera* Bellide annua.

Radix fibrosa, propagines emittens, filiformes, nudas, humifusas, apice adsurgentes, in novam plantam tandem radicantes. Folia obovata, 5 lin. lata, 10 longa, in longissimum petiolum attenuata, adscendentia, integerrima, superne scabriuscula. *Culmus* filiformis 4-8 unic. longus, hispidulus. Anthodium haemisphaericum, foliolis 13-15 lanceolato-linearibus, hirsutis, unicâ serie dispositis. Corollulae ligulatae albae, emarginatae, disci flave, 4fidae. Semina oblonga, angulata, angulis praesertim hirsutis, apice aristis 5, cum totidem squamulis ovatis, acutis, brevioribus, alternantibus. Receptaculum nudum. (Vide adnotationem ad sequentem speciem.)

H. Specimina duo in Herbario meo serbo; quonam in loco ea collegerim, memoria excidit; certo in Italia meridionali. ⊙

BELLIUM DENTATUM. (Tab. X. fig. 2.)

B. caule folioso; foliis dentatis.

Bellis annua. *Lin. Sp. Pl.* 1249, *synonima mixta cum specie antecedenti, et vera* Bellide annua.

Bellis minima annua: *Triumfetti*, *Observ. p.* 80, tab. bona.

Bellis minima Triumfetti: *Raii Syll. stirp. Exot. p.* 76.

Bellis Montana minor ramosa glabra cotyledonides Nurcina: *Barrel. icon.* 1237.

Bellis minima caule folioso pubescens *Cup. Cath.*

Bellium Bellidioides: *Des-Font. Fl. Atl. II.* p. 279.

Radix simplex. Caulis brevissimus vix ultra 2 centim. longus, ramulo uno, alterove a basi ipsa divisus, parcè foliosus, purpurascens, pubescens. *Folia* radicalia in orbem posita, obovata, in petiolum attenuata, dentata, carnosula, glabra. *Flores* in extremis ramis, in pedunculum nudum elongati, solitarii, magnitudine, et facie Bellidis *perennis*. Anthodium haemisphoericum, foliolis 12-15 subaequalibus, linearibus obtusis. Corollulae ligulatae, albae, circum 30, unica serie dispositae, lineares, calyce duplo longiores, disci luteae, 4fidae. Semina aristis 5-8 cum totidem squamulis brevioribus alternantibus. Receptaculum nudum.

Reperi Romae ad agrorum margines. ⊙

Obs. Bellii genus in Mantissa Linnaeus condidit, descriptione ex planta viva petita, diremptis e Bellide *annua* Triumfetti, Raii, et Bocconii supra citatis synonimis, quibus novam, unicamque Bellii speciem fulciret. Plantae hujus locum, natalem è Triumfetto exscripsisse

videtur, licet species ab auctore hoc recensita, ut ex relatis descriptionibus videre est, a B. *Bellidioide*, omnino discrepet. Utriusque specimina in meo Herbario serbo: quorum quae Romae in locis a Triumfetto ipsomet indicatis, collegi, omnino hujus auctoris descriptioni, et tabulae conveniunt: alia vero, dum ab hisce omnino recedunt, descriptioni l. cit. *Mantissae* pro B. *Bellidioide* congruunt. Triumfetti speciem pro Bellide *annua* denuo habere vetat praecipue character genericus, et totius plantae habitus. Hanc etiam Clariss. De-Fontaines in Barbaria legit, licet Triumfetti synonimo potius quam Mantissae descriptioni fidens, pro Bellio *Bellidioide* Linnaei receperit; harum vero plantarum speciminibus, descriptionibus, et iconibus comparatis, a summi hujus Botanici auctoritate decedere necesse fuit.

ANTHEMIS INCISA. (Tab. XI, fig. 1.)

A. caule ramoso; foliis sessilibus, oblongis, dentato incisis, apice tridentatis.

A. incisa. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 185.

Caulis palmaris, erectus, teres, ramosus, villosulus. Folia sessilia, oblonga, dentato-incisa, carnosa, nuda, laciniis acutis, rarò dentatis, extima profundè tridentata. Pedunculi uniflori, apice incrassati, nudi. Anthodium haemisphaericum, foliola omnia adpressa, inferiora acuta, brevia, superiora obtusa, margine scariosa. Corolla lutea, 15 millim. lata: Corollulae radii concolores, obovatae, supra bisulcatae, apice obtuso, emarginato, veluti eroso. Receptaculi paleae brevissimae, truncatae. Semina 1-2dentata.

Differt ab A. *mixta*: radio concolore, foliis dentato-incisis, minime vero laciniatis, et pinnatifidis, calyce non hirsuto etc.

Reperi prope Genuam secus mare: *a S. Nazzaro.* ⊙

ADIANTHUM FRAGRANS. (Tab. XI, fig. 2.)

A. fronda bipinnata, pinnulis inciso-crenatis, obtusis; stipite strigoso.

A. fragrans: *Viviani*, *Elench. Pl. H. Bot. Di-Negro. Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 190. *Mur. Syst. Veg.* 940.

Polypodium fragrans: frondibus bipinnatis, pinnis ovatis sublobatis, obtusis, subtus nudis, margine reflexis, fructificationibus marginalibus: *Linn. Mant.* 307, *non vero Sp. Pl.* 1550; *nec Syst. Nat. ed.* 12, 693, *ubi eodem nomine species omnino diversa recensetur.*

P. fragrans: *Des-Font. Fl. Atl. vol. II, p.* 408, *tab.* 257, *etiam ex ejusd. herbario.*

Pteris acrostica: *Balbis*: *Addit. ad Fl. Pedem. et Miscell. p.* 46.

Stirps habitum Asplenii Adianthi nigri in parvo referens: 8-12 ad summum centim. altitudinem, apud nos, nunquam excedens. Radix fibrosa. Stipites ex eadem radice plures, caespitosi, erecti, filiformes, fragiles, purpureo nigricantes, inferne hirsutie paleacea tecti, superne glaberrimi. Frons ovato-oblonga, plana, bipinnata, pinnis subopposítis, brevissime petiolatis, summis confluentibus. Pinnulae sessiles, ovatae, incisae, crenatae, laciniis rotundatis, margine squamoso, reflexo, pellucido, fructificationis globulos tegente. Fructificatio globuli rotundi primum virides, maturi nigricantes, annulo elastico cincti.

Reperi unico tantum loco in Plaga orientali Liguriae. *Legnaro nella Valle di Levanto*: prope torrentem *Valle da Fonda*, secus viam, in murorum fissuris.

Obs. Rara in Italia species, neque satis adhuc distincta, dubio adhuc persistente in Linnaeanis synonimis, quae species duas omnino diversas, sub eadem denominatione exibent. Quod primum, *fragrantis* nomine, Polypodium Linnaeus recensuit in *Sp. Pl. p.* 1550 Hudsonii, et Ammani synonimis sancitum, septentrionalium regionum incola est, differtque a specie nostra, foliis confertis, lobis serratis etc. Speciem hanc a Sibiria etiam, uti, et Linnaeana, acceptam, accuratius descripsit Clar. Roth primum in *Observ. Bot. n.* 15, et denuo novo examini subjectam in Polystichi genus recepit in *Cath. Bot.* 1471, ob involucrum capsularum centro tantum frondi affixo. Diversa vero a specie hac, etiam quoad genus, facile dignoscitur Filicula altera, P. *fragrantis* nomine, a Linnaeo iterum in Mantissa l. c. relata, quae ex descriptione addita, nostrae omnino congruit: huic pro loco natali, fide Fr. Gabrielis Baro Capuccini (*), Gallia australis indicatur, ubi rarissime occurrere suspicor, quod ejusdem neque in *Fl. Gallo Prov.* Gerardi, neque apud Lamark in *Fl. Franc.* mentio fiat. Ex descriptione hac Linnaeana *Mantissae* speciem hanc, quoad genus ab illa differre, quae eodem nomine in *Sp. Pl.* recensetur, sensit Murrayus, rectèque in Adianthi genus eamdem collocavit. In *Flora* vero *Atlantica*, Polypodii *fragrantis* nomine iterum prodiit, et a Clariss. Balbis Pterides inter adnumerata fuit, *achrosticae* nomine. Cum speciei hujus atlanticae, paullo licet elatioris, etiam ex Cl. Des Fontaines herbario cum mea identitatem recognoverim, et Pteridem *achrosticam* Balbis a mea non differre, ex celeb. hujus Botanici litteris, deduxerim, hasce cum P. *fragrante* Mantissae facile erat combinare. Ne quid vero pro hac, quoad genus, decertaretur, optimo microscopio fructificantem frondem subieci; hinc globulos annulo elastico cinctos, sub frondis marginem reflexum, squamosum evidentissime conspexi, et figura 3 delineavi.

(*) Historiam naturalem coluisse videtur; cujus nomen, novae Scolopendrae speciei (*S. Gabriaelis*) ab eodem detectae, Linnaeus indidit. *V. Syst. nat.* t. 1, *pars* 2, *p.* 1063.

SERAPIAS TRILOBA. (Tab. XII, fig. 1.)

S. nectarii labio trilobo : lobis omnibus exsertis, subaequalibus, rotundatis, crenato-undulatis.

S. triloba. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 186.

Bulbi duo ovati. Culmus 22 centim. alt. erectus, teres, purpurascens, foliosus. Folia radicalia, et caulina inferiora lineari lanceolata, 4-5 centim. longa, 12 millim. lata, obtusè carinata, erectiuscula, laevia; superiora in vaginae modum caulem amplexantia. Bracteae magnae, germine duplo longiores, acuminatae, erectae, purpurascentes, venis saturatioribus exaratae. Corollae petala tria exteriora longitudine aequalia, ovato-acuta, basi etiam distincta, in fornicem conniventia, supernè ultra medium reflexa: duo interiora (lateralia) exterioribus longitudine aequalia, magis acuminata, basi latiora; omnia rubescentia, lineis saturatioribus notata. Nectarii labium diametro longitudinali, et transversali 14-16 millim., intensè, purpureum, fauce alba, trilobum, in prima floris eruptione late canaliculatum, tandem planum, patentissimum, lobis omnibus exsertis, subaequalibus, crenato-undulatis.

In collibus siccis, apricis, subtus *Granarolo* prope Genuam reperit Botanices cultor fragrantissimus E. Vincens, mihique amicissime communicavit: sequenti anno eamdem reperi in collibus maritimis *a Quinto* prope Genuam.

Obs. Serapidum speciosissima, et ab omnibus hucusque cognitis abunde distincta.

ORCHIS BREVICORNU. (Tab. XII, fig. 12.)

O. bulbis subrotundis; petalis lateralibus patentibus, reflexis; nectarii labio trifido; cornu obtuso, conico, brevissimo.

O. brevicornis. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 184.

β Minor: petalis lateralibus intense viridibus, rubro puntatis, albo marginatis; labii lobis lateralibus acutis; argute serratis.

Radix bulbi duo subrotundi. Scapus 24 centim. longus, rubescens, teres, duobus tribusve squamis, seu potius foliorum vaginis laxe amplexantibus, acutis, cinctus. Folia 10 centim longa, 6-7 millim. lata, linearia, acuta, glaberrima, carinata, erecta. Spica rara, 10 centim. longa, cylindrica: bracteae purpureae, acuminatae, erectae, germine breviores: Petala 3 exteriora purpurascentia, longitudine fere aequalia, erecta; duo lateralia patentia, quandoque reflexa, ovato-acuta, basi obliqua, striis

virescentibus exarata: duo interiora paullo angustiora, et breviora, in fornicem conniventia, apice sibi invicem adposita. Nectarii labium rubrum, fauce albicante, punctis sanguineis notata, trifidum, laciniis lateralibus oblongis, oblique truncatis, margine exteriore denticulatis, quandoque deflexis; media paullo longiori, anticè latiori, truncata, emarginata, serrato-denticulata. Cornu 3 millim. longum, obtusum, conicum, subincurvum, germine triplo brevius, odor nullus.

Reperi in collibus Oreginae, et Feritoris intra moenia Genuae. Varietatem β mihi attulit ex *Monte Fasce* prope eamdem urbem Botanices studiosissimus, amicus, et auditor meus Doctor Landò.

Obs. Distinctissima ab O. *mascula*, praecipuè cornu, etiam in var. β, constanter longe minori, formaeque diversae; bracteis brevioribus, foliis angustioribus, et longioribus: huius verò habitum refert.

TRIFOLIUM NIGRESCENS. (Tab. XIII.)

Lotoidea: *Leguminibus tectis polyspermis.*

T. Capitulis umbellaribus; leguminibus tetraspermis; capitulis nudis; calycibus inaequalibus, corolla duplo-brevioribus; foliolis omnibus cuneato-rotundatis, denticulatis; stipulis membranaceis, maximis, nigro notatis.

Caules caespitosi, decumbentes, teretes, flexuosi, hirsuti, inferne stipulis arescentibus tecti. Folia ternata, longe petiolata, stipulis petiolaribus, latis, amplexicaulibus, membranaceis, rotundato-acuminatis, striis nigricantibus, ad basim praesertim, exaratis: Foliola glabriuscula, brevissime petiolata, basi cuneata, integerrima, superne denticulato-serrata. Pedunculi elongati, filiformes, hirsuti. Flores multi, in capitulum nudum congesti, lutescentes. Pedicelli breves, bracteola minima, ovata, suffulti (*). Calyx glaber, albicans, striatus, profunde quinquedentatus, dentibus omnibus erectis, duobus superioribus, paullo longioribus. Corolla calyce duplo longior: Vexillum oblongum: Alae conformes, vexillo duplo breviores. Fructus trispermus.

Reperi in littore Romano, non longe ab Ostia, nunc *Fiumicino.* ⊙

(*) Capitula in Trifoliis *nuda* dicimus ubi bracteis, involucri speciem gerentibus, uti in *T. pratense*, *alpestre* etc. etc. non cinguntur.

CISTUS ACUMINATUS. (Tab. XIV. fig. 1.)

C. herbaceus, extipulatus; foliis omnibus ellipticis, utrinque acuminatis, trinerviis; racemis ebracteatis, petalis denticulatis.

C. acuminatus. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *pag.* 173.

Caulis herbaceus, erectus, spithameus, hirsutus, uti et tota planta, simplex, teres, punctulatus, purpurascens. Folia radicalia erecta, 4 centim., et paulo etiam longa, 7 milim. lata, utrinque acuminata, hirsutissima, trinervia, margine revoluta: caulina 1-2 paria, opposita, sessilia, lanceolato-acuminata, prope flores minima. Flores racemosi, remoti, magnitudine, et colore Cisti Helianthemi, supra axillares. Petala obovata, limbo inaequaliter denticulato: Calycis foliola tria majora margine altero cartilaginea; duo minora (in fructu) patentia. Stamina omnia fertilia. Stigma albo-pubescens. Fructus hirsuti, deflexi, ut in C. guttato; hinc racemus, maturationis stadio, secundus.

Reperi prope Genuam: in summo ferè vertice montis *del Gazzo.* ⊙

ORNITHOPUS PYGMÆUS. (Tab. XIV, fig. 2.)

O. Foliis pinnatis, pedunculatis, foliolis sublinearibus, mucronulatis, extus hispidis: lomentis teretibus, incurvatis.

Caulis filiformis, simplex hispidus, erectus: 7-8 centim. altus. Folia pinnata, longe petiolata, 4-6 juga; foliola carnosula, sublinearia, apicem versus paullo latiora, mucronulata, superne glabra, inferne pilis raris hispida. Stipulae ad basim foliorum minimae, scariosae, ad lentem obtusae, rufescentes. Pedunculi elongati, filiformes, axillares, biflori, prope calycem stipula minima suffulti. Pedicelli brevissimi. Calyx cylindricus tubulosus, dentibus acutis, subaequalibus. Corolla purpurascens. Fructus glaber, incurvus, isthmis obsoletis, stylo persistente setaceo.

Reperi in littore Romano. ⊙

Obs. Statura pygmaea tantum cum O. perpusillo congruit; caeterum longe diversus. Hujus, vero phrasis specifica in Specierum plantarum elencho novis characteribus committi debet, ne cum specie nostra confusionem pariat. Folia enim pinnata et legumina incurva, utrisque conveniunt: Hinc phrasim sequentem proponimus:

ORNITHOPUS PERPUSILLUS.

O. Foliis pinnatis, sessilibus; foliolis ovatis, utrinque pilosis, lomentis incurvatis, moniliformibus.

Synonimis a Willdenowio in *Sp. Pl.* recensitis adde:

O. perpusillus. *Smith. Fl. Brit. Vol.* 2, *p.* 777. *English Bot. Tab.* 369 *optima.*

SELINUM RIGIDULUM. (Tab. XV.)

S. Caule tereti, striato; involucro universali monophillo; vaginis foliorum arcte caulem amplexantibus; pinnulis linearibus, mucronatis.

S. rigidulum. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 164.

S. appuanum. *Viviani*, *Catal. Hort. Di-Negro p.* 33.

Tota planta rigidula: Caulis erectus, alt. 4 decim. teres, glaber, striatus: Folia radicalia pinnata, 10-16 juga, pinnis oppositis laciniato-pinnatifidis, laciniis linearibus, mucronatis; Caulina, et ad basim pedunculorum praesertim, simpliciter pinnata, pinnulis lineari-elongatis, remotis; petioli vaginantes, vaginâ ramos, pedunculosve arcte amplexante. Pedunculi nudi, filiformes. Involucrum universale foliolum unum, lineare, acutum; partiale foliola 5-6, umbellulâ paullo breviora, mucronata: Umbella universalis pauciflora, concava, pedunc. 5-7; partialis convexà multiflora. Petala albà obovata, cum acumine inflexo: Fructus ovatus, compressus, costis utrinque quatuor elevatus.

Reperi in montibus Carrariensibus, inter fissuras rupium marmorearum. ♃

Obs. Elegantissima species, habitu rigidulo, tenui, pinnis lineari laciniatis, laciniis mucronatis, ad basem veluti decussatis, spectanda. Hisce characteribus, caeterisque ex descriptione desumendis, differt a Selino *Chabraei.*

VERONICA CYMBALARIÆFOLIA. (Tab. XVI, fig. 1)

V. foliis reniformibus, subseptemcrenatis; calycibus fructiferis patulis, foliolis subrotundis, hirsutis.

V. Cymbalariaefolia. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 135.

V. Cymbalariaefolia. *Gmel. Tub. p.* 6.

V. Chia, cymbalariae-folio, verna, flore albo, umbilico virescente. *Tourn. cor.* 7. *Buxb. cent.* 1, *p.* 25, *t.* 39, *fig.* 1.

V. hederifolia var. *β Linn. Sp. pl.* 19.

β foliis superioribus trilobis, cuneatis.

Caules diffusi, laxe caespitosi, a basi ipsa ramosi, ramis ramulisque oppositis, adscendentibus, incurvis. Folia petiolata, plana, basi truncata, nec cordata, carnosula, subtus purpurescentia, reniformia, 5-7 crenata, lobulo medio maximo: Inferiora, ad ramorum ortum, opposita, superiora alterna: cotyledonalia persistentia, petiolata, oblonga, integerrima. Pedunculi axillares, solitarii, petiolis duplo longiores, florigeri erecti, in fructu maturo deflexi, quandoque secundi. Calycis foliola quatuor, subrotunda, extus hirsuta, corolla vix elapsa, erecta, conniventia, in fructu tandem patentissima. Corolla alba, calyce vix longior; laciniis rotundatis subaequalibus, fauce virescente. Capsula biloba, hirsuta, bilocularis, bivalvis: cocculae, singulo lobo, duae, coalitae, mono, aut dispermae. Tota planta hirsuta.

Reperi in muris, et locis cultis. Genuae frequentissima in hortis. Romae in ruderatis, *nel Colosseo ec. β* prope Genuam, in via, quae secus mare ducit *S. Nazzaro.*

Obs. Veluti speciem a Veronica hederifolia abunde diversam in meis lectionibus semper demonstravi: nunc vero auctoritate Clar. Smithii, qui in sua *Fl. Brit.* Vol. 1, p. 25, uti speciem reapse distinctam indicat, descriptione, et tabula ornare placuit. Hinc etiam Cymbalariae nomine eamdem evulgavit Bertolonius, *Soc. Med. Gen. Vol.* 1.

Ramulum fructiferum V. *hederaefoliae* addidi (Tab. 1, fig. 2) differentiae aptius cum nostra eruendae causa, nam apud nos eadem fere tempestate florentes, generatim confunduntur, quam notissimae aliundae speciei illustrandae causa. Varietatem *β* unica vice, loco citato, inveni; foliis superioribus late sic in petiolum attenuatis, ut cuneata adpareant: tota etiam planta hirsutior, et humilior.

VERONICA HEDERÆFOLIA. (Tab. XVI, fig. 2.)

V. foliis cordatis, reniformibus, subseptem crenatis; calycibus fructiferis erectis pyramidatis, foliolis acutis.

V. hederaefolia *Lin. Sp. Pl.* 19. *Smith. Brit.* 1, *p.* 24. *Des Font. Atl.* 1. *p.* 14. *Savi Pis.* 1, *p.* 16. *Allion. Pedem.* 1, *p.* 78. *Crantz Austr.* 360, *n.* 18. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 136.

SCABIOSA LEUCANTHA. (Tab. XVII.)

S. corollulis quadrifidis, aequalibus; squamis anthodii, et receptaculi ovatis obtusis: foliis decursive pinnatis.

S. Leucantha : *Linn. Sp. Pl. Bertol. Pl. Gen.* 28. *Willdenow Sp. Pl.* 1, 547.

Scabiosa alba Belgicorum hortorum: *Clus. Hist. lib*, 4, *p. iiij*, *figura mala.*

Scabiosa montana calidarum regionum: *Lugdun: Hist.* 2, *p.* 1110, *figura mala.*

Caulis erectus bipedalis, albo-striatus, strictus, glaber, teres. Folia decursive pinnata, rigidula, pinnis in foliis inferioribus, et radicalibus ellipticis, raró, et inaequaliter dentatis, in superioribus, linearibus, subintegerrimis. Flores magni, in extremis ramis, albi. Anthodii squamae ovatae, corollulis duplo, triploque breviores, in receptaculi squamas aridiores, et scariosas abeuntes, singulae corollulae subjectae. Corolla 4fida: laciniâ exteriori latiori, et longiori. Semina triquetra, pubescentia, calyculo duplici, ciliato, setaceo, coronata.

Reperi frequentissimam in collibus Ligusticis; etiam intra ipsa Genuae moenia. ♃

Obs. Scabiosa *Trenta* Hacquet Pl. alp. p. 13, tab. 4, f. 1, a Willdenowio l. c. in varietatem S. *leucanthae* receptae non hujus loci est, sed S. *transilvanicae* potius varietas.

ASPLENIUM CUNEIFOLIUM. (Tab. XVIII.)

A. Frondibus bipinnatis, foliolis alternis, sessilibus, cuneiformibus, apice serrato-dentatis.

Stipitis caespitosi, erecti, basi incrassati hirsuti; hinc nitidi, rufescentes, angulosi: 2-2 ½ decim. longi. Frons lanceolata, plana, bipinnata, pinnae alternae, remotae, breviter petiolatae, petiolo plano; interiores, 2-3 jugae, extimae confluentes; foliola subsessilia, cuneiformia, avenia, apicae serrato-dentata, superiora incisa, trifida, per stipitem decurrentia. Fructificatio in lineolas oblique alternantes per discum foliolorum disposita, membrana longitudinaliter, et interne dehiscente involutas. Globuli rufescentes, annulo elastico-cincti.

Tota frons, ultra basim, glaberrima.

Reperi in fodinis subterraneis montis *Ramazzo*, prope Genuam supra *Sestri a Ponente*, in fissuris Serpentini pyritiferi, unde sal catharticum extrahitur.

GNAPHALIUM BELLIDIFLORUM. (Tab. XIX.)

†††† *Herbacea Argyrocoma.*

G. Caulibus procumbentibus, diffusis; foliolis linearibus, obtusis, incanis, imbricatis; squamis calycinis interioribus in radium elongatis, integerrimis.

Caules ex eadem radice plures, suffruticosi, diffusi, ramosi, filiformes, basim versus nudi, cicatricibus asperati; superne, et in ramis praesertim, foliis imbricatis tecti, la-

nati: rami breviores. Folia sessilia, lineari-obtusa, tomentoso-sericea, basi paullo angustiora, 1 millim. lata, 3-4 longa, imbricata, nervo medio inferne exarata, superiora longiora, nunc in gemmam veluti coarctata, nunc in extremis ramis praesertim, secunda, subreflexa. Flores in ramis, ramulisque terminales, subsessiles, solitarii, 1 centim. cum dimidio fere diametri, respectu totius plantae, magni. Calyx externe foliolis lanceolatis: laxe imbricatis, tectus, foliola interiora membranacea, lineari-obtusiuscula, alba, persistentia, integerrima, duplici-triplicive serie disposita, florem radiatum componentia, *Bellidis perennis* florem quodammodo referentem. Semina hispida, pappo brevi, ad lentem plumoso.

Reperi inter meas plantas siccas, in Italia meridionali lectas; locus incertus. ♃

Obs. Habitus tantum respectu, inter G. herbacea collocavi, licet cauliculi lignosi suffruticem suspicari faciant.

HIERACIUM STOLONIFERUM. (Tab. XX.)

† *Scapo Unifloro.*

H. scapo unifloro, nudo, stolonifero, calyce glanduloso, hispido; foliis in longum petiolum attenuatis, glabris, obsolete runcinatis, vel integerrimis.

Radix fibrosa, parvos tuberes in extremis fibris proferens, apice stolonifera, stolonibus, hinc inde, foliosis, apice nudis, filiformibus, rufescentibus. Folia in longum, quandoque filiformem, petiolum attenuata, glaberrima, obscure-viridia, subtus rubescentia, obsolete runcinata, saepius dentata, dentibus remotis, saepe integerrima. Culmus nudus, fistulosus, lactescens, teres, maculis, punctisque rubris basim versus, pictus, superne setis patentibus, glandulosis, nigricantibus, uti inferior pars calycis, tectus. Calyx cylindricus, imbricatus, foliolis adpressis; inferiora breviora-albicantia, lineari, lanceolata; interiora linearia, nigricantia, obsolete carinata, apice membranacea. Corolla lutea 2 $^1/_2$ centim. diam. Corollulae 5 dentatae. Semina linearia, laevia, glaberrima. Pappus sessilis, pilosus, pilis numerosissimis, sericeis. Receptaculum tuberculatum.

Reperi in orientali plaga Liguriae — *nella Valle di Levanto* — prope pagum Lignarii in meis Olivetis *Piccetto.* ☉

ATHAMANTHA CERVARIA. (Tab. XXI. f. 2 foliolum.)

A. foliolis lanceolato-acuminatis, argute serratis, incisis, basi cuneatis; seminibus nudis.

A. Cervaria: *Sp. Pl.* 359. *Wild. Sp. Pl. I* 1401. *Jacq. Austr. tab.* 69. *Viviani, Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 165.

Daucus secundus Mathioli *Lugd.* 716. (licet Mathiolus hoc nomen speciem sequentem appellet:) itemque ejusdem operis fig. p. 765.

Vide adnot. ad speciem sequentem.

ATHAMANTHA LATIFOLIA. (Tab. XXII, fig. 1.)

A. foliolis ovato-oblongis, dentatis, basi oblique truncatis, lobatis, lobis obtusis, extimo cordato, latiore.

A. Cervaria: *Bertol. Pl. gen.* 44.

Daucus secundus: *Mathioli*, *edit. Valgrisiana*, *fig. bona*: descriptio nulla additur, neque loco natalis indicatur.

Caulis erectus 4-7 decim. altus, profunde sulcatus, rigidus, ramosus. Folia interiora bipinnata, circumscriptione triangularia: pedunculi, et pedicelli profunde striati, superne angulo acuto elevati. Foliola fere omnia sessilia, coriacea, dentata, dentibus mucrone brevi instructis: interiora ovato-subrotunda, triloba, lobis acutis, extimo latiori, exteriora ovato-oblonga, acutiuscula, basi oblique truncata, extima cordata, triloba, lobis etiam quandoque incisis: omnia coriacea, nitida, margine subrevoluto: ad basim pedunculorum vagina ampla, margine membranaceo, apice folii quandoque rudimentum exhibens. Umbellae terminales, convexae: radii 15-24, partiales etiam numerosiores, convexae. Involucrum universale varium, quandoque folio unico spathaceo constans, alias polyphyllum, foliolis linearibus, margine cartilagineo. Partiale polyphyllum reflexum. Corollae albae, petala involuta. Semen ovatum, compressum, supra costis 5 exaratum, margine cartilagineo cinctum.

Reperi frequentissime in collibus prope Genuam ♃

Obs. Species Italica, foliorum firmitie coriacea, glabritie, crenulis in setam abeuntibus, aliisque notis, cum specie praecedenti confusa, licet omnino distincta. Neque earumdem discrepantiam clar. Jacquinii tabula, multo minus veterum auctorum descriptiones inconcinnae, rudesque icones detegere valebant. Hujus vero statim constitit, ubi primum, anno 1803, in sylvula supra Neuchâtel, prope vineas, in veram A. *Cervariam* incidi: iisdem fere locis (*a la chaud de fond*) in monte jura Bahuinius eamdem observaverat, et figura satis bene expressit, ut foliola basi cuneata, et triangularem foliorum formam conspicias. Cum specie hac coeunt citata a Bahuinio synonima, excluso tamen *Dauco secundo Mathioli*, nam in citata icone Mathiolus optimae *Athamantae latifoliae* nostrae figuram exhibet. Fortasse ad speciem nostram quoque spectat *Oreoselinum Apii folio minus* Seguierii *Pl. Veron.* 11, 31, vel planta huic fere similis, quam oculatissimum Michelium in Monte Baldo collegisse Seguierius scribit, enun-

ciatam postea a Tillio in Horto Pisano pag. 126 sub nomine *Oreoselinum Apii folio minus, ad singulos nodos ramosum, et in summitate caulis plures umbellas in praelongis, et foliolis pediculis proferens* Michelii. Hisce rationibus permotus, propriisque observationibus fulcitus, species duo, eodem nomine confusas in hujus operis prodromo (*Annal. Bot. l. c.*) discriminare suscepi. Quod si fortasse cuipiam inconsulte id factum fuisse videtur, hoc potius in ejusdem, pro hac specie, inscitiam, quam in meam culpam verti debet: nam ubi harum plantarum specimina singula propriis locis natalibus collecta, inspicienda servantur, earumque differentia auctorum synonimis, auctoritate, figuris sancitur, veteri adhuc confusioni, pro hisce speciebus, indulgere, alienum a veritate animum commonstrat.

TRITICUM UNILATERALE. (Tab. XXIII.)

T. Spiculis ovato-lanceolatis, compressis, unilateralibus; calycibus, corollisque obtusis, muticis; rachi flexuosa.

T. unilaterale: *Linn. Mant.* 35. *Lam. Dict. Enc. V.* 2. *Host. Gram. tab.* 27, *folia latiora nimis et longiora. Wild. Sp. Pl. I* 488. *Viviani*, *Annal. Botan. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 149.

T. loliaceum: *Smith. Brit. I* 159. *Engl. Bot. t.* 221. *Willd. Sp. Pl. I* 448.

T. maritimum: *Villars Delph. Vol. II*, *p.* 166, *quoad descriptionem.*

Festuca n. 8, p. 96. *Ger. Prov.*

Poa loliacea: *Huds. Fl. Angl.* 43.

Gramen exile diriusculum, maritimum: *Scheuchzer.* 272. *Rai. Hist.* 1287.

Gramen parvum marinum, spica loliacea: *Moris. Hist.* 3, *sect.* 8, *t.* 2, *f.* 6 *bona.*

Gramen loliaceum maritimum biunciale: *Moris. in descriptione.*

Gramen exile durius maritimum, foliis circumvolutis, veluti junceis, brevibus: *Pluk. Phyt. tab.* 32, *f.* 7.

Gramen exile durius Norvegicum, aut Danicum, scopario gramini cognatum: *J. Bah. Hist. II*, *p.* 463 *cum tabula mala.*

Gramen loliaceum exile durius: *Reliq. Rudb.* (*spiculae, basi etiam spicae, solitariae exhibentur.*)

Culmi 7-10 centim. alti, rigiduli, depressi, foliosi, teretes, glabri, basi ramosi. Folia plana, lineari-lanceolata, brevia, patentia, exsiccatione involuta, dorso asperiuscula. Vaginae internodia subaequantes, sulcato-striate, laeves, ligula truncata vix 2 millim. longa. Spica 3-4 centim. longa, simplex, in majoribus, soloque pinguiori collectis speciminibus, basi ramosa. Rachis flexuosa, sulcato-angulata, laevis. Spiculae ovato-lanceolatae, compressae, rigidae, 5-9florae, sessiles, racheos basi, quandoque, binae, ternaeque, pedicellis etiam in ramulos abeuntibus. Cal. valvulae subaequales,

obtusae, margine membranaceo, trinerviae. Corollae gluma exterior calycinis glumis conformis; interior brevior, obtusior, membranacea, nervis duobus lateralibus.

Reperi in herbidis siccis maritimis: frequentissime in littore Ligustico, *a Sestri di Ponente nella spiaggia; nelle strade a SS. Nazzaro e Celso*, *nella spiaggia di Luni*, *e di Massa*. ⊙ Floret Junio.

Obs. Graminis hujus historia non satis Botanicis spectandum offert exemplum, quomodo confusio, cum in speciei alicujus determinatione irrepserit, in adfiniores paullatim contendat, novam in diem errorum sobolem paritura. Triticum unilaterale primum in Mantissa p. 35 a Linnaeo descriptum apparuit, fulcitum synonimis *Bah. Hist. II, p.* 469. *Rai. Hist.* 1287. *Pluck Phyt.* 32, *f.* 7. *Scheuch. Agr.* 272. *Bocc. mus.* 2, *t.* 57. Hac vero denominatione, uti et ex brevi ejusdem descriptione patet, Linnaeum speciem nostram indicasse haud dubito, cum validiora, quibus haec fulciebatur synonima, pro Poa *loliacea* constituenda, a nuperioribus carpta fuerint, Bocconii tantum illo ommisso, ut quid etiam fortasse T. *unilaterali* relinqueretur, quo in diversam speciem Poam *loliaceam* reciperent. Prima confusionis origo Hudsonio tribuenda, qui in Poarum genere, specie hac admissa, huic male retulit in synonimum T. maritimum *Linn.* reliquaque *Pluknetii Phyt.* 32, *f.* 7. *Moris. Hist.* 3, *sect.* 8, *t.* 2, *f.* 6. *Bah. pin. Gramen maritimum panicula loliacea:* quibus synonimis duae quidem comprehenduntur species: quae Linnaei nempe, et G. Ba!. sunt ad T. *maritimum* reapse spectant, reliqua in T. *unilaterale* coeunt. Hudsonii errori manum praebuit Linnaeus ipse qui Morisonii *syn. Hist. III, sect.* 8, *t.* 2, *f.* 2. T. maritimo male adjecit, cum optime, figura illa, speciem nostram repraesentet. Notandum quoque Morisonii figurae Bahuinianam phrasim: *Gramen maritimum panicula loliacea* adnecti; licet phrasis haec reapse spectet T. maritimo, et pro nostra specie sint, superius a nobis citata, Bahuiniana synonima. Reichardus, in sua Sp. plant. editione, optime quidem T. maritimum Linnaei in speciem distinctam retinet, at quae primum a Linnaeo speciei huic tributa fuere synonima, et quae P. loliaceae Hudsonius addiderat, in unum congessit. Caeterum Hudsonius, licet T. maritimum Linn. speciei huic male adsciverit, Scheuchzerii tamen synonimon *Agr.* 274 concinnâ descriptione, patentissime speciem hanc exhibens, omisit: eadem confusio in *Syst. veg.* ed. XIV. ubi Poa loliacea Hudsonii male T. maritimo consociatur; Linnaeani herbarii inspectione, dubia omnia amoveri posse sperabam, at nulla T. unilateralis specimina inventa ibi fuisse credo: nam, rigidiori critico examine instituto, a Clariss. Smithii auctoritate recedere cogor, qui in *Fl. Brit. l. c.* T. loliaceum, distinctam veluti speciem describit, et verum T. unilaterale Linnaei optime exhiberi monet in tab. 2, f. 3, sect. 8. III. Moris. Si quid vero et Linnaei phrasi, et synonimis ab eodem citatis fidendum, nullo pacto ad speciem nostram Fig. illa referri potest, cum et synonimis a Linnaeo citatis repugnet, et flosculos subaristatos exhibeat, dum mutici in Linnaeana phrasi dicuntur: imo ob flores muticos Linnaeus ipse huc recte revocavit synonimon Scheuchzerii 272, quod a Loeflingio ad Festucam maritimam relatum fuisse censuit. Caeterum non hic Linnaeanas tantum quas recensemus species extricare in animo est, quam Botanicorum descriptiones concordare, et singulas propriis locis adiicere.

In recentiori Spec. pl. editione Clariss. Wildenowius T. loliaceum , distinctam veluti speciem ab unilaterali exibet , direptis quoque Linnaeanis synonimis ad primum fulciendum ; unilaterali , solis Bahuini , et Bocconii, ineptis sane , munito figuris. Hoc vero adnotandum, quod Bauhinii synonimon , Scheuchzerii tantum auctoritate ad T. unilaterale firmandum adjectum fuit , cumque Scheuchzerii optima descriptio ad loliaceum pertinere unanimiter nunc assentiatur , Bahuini synonimon unilaterali adhuc relinqui absurdum. Tanta vero in Scheuchzeriana descriptione veritas , ut speciem nostram Gerardii Festuca n. 8 insufficienti phrasi tantum commissâ , innui eo credam , quod Scheuchzerii descriptio a Gerardio citetur. Hujus vero auctoris synonimon male quidem Lamarchius , in *Dict. Enc.* ad T. maritimum refert. At non plenam satis speciei hujus cognitionem Lamarkio constituisse eo patet , quod in sua *Fl. Franc.* T. unilaterale in varietatem T. tenelli recipiat , a quo toto coelo differt. Botanicorum synonima, malo quidem exitu, conciliare adgressus est Villars in *Fl. Delphin.* : nam T. unilateralis nomine , speciem a nostra omnino diversam descripsit , cui Scheuchzerii synonimon 272 inconsulte adjecit : speciem vero nostram , T. maritimi nomine , recenset , et quò Linnaei pro hac specie phrasim magis conformem redderet , non spica ramosa , sed spica (*basi*) ramosa , scribit : hac falsa denominatione , synonima T. hispanici , et Poae loliaceae , pro eadem specie , coacervantur. Hinc hujus auctoris descriptione , pro specie nostra retenta , synonima inter tres T. species dividenda. In elegantissimis Graminum iconibus Clar. Hostii species nostra eodem nomine exhibetur ; at plantam cultam ibi delineatam fuisse suspicor , nam habitus minus rigidus , folia longiora , et spicae non tam imbricatae exhibentur, quam in natura semper observavi.

Ex hac Auctorum critica disquisitione concludi posse puto. I. T. unilaterale Lin. Sp. Pl. et quoad descriptionem , et quoad synonima optime cum specie nostra convenire. II Speciem hanc, intermixtis synonimis, T. loliacei nomine , inter nuperiores irrepsisse. Hisce addere possem quod T. unilaterale , licet Italiae indigena veluti species habeatur , nullibi in Italia reperire mihi datum fuerit, ejusdemque specimina perperam in iis, quae revisere datum fuit Herbariis, perquisisse; ubi frequentissime hoc nomine specie nostra, vel varietas aliqua Poae rigidae reperiebatur.

TRITICUM HISPANICUM. (Tab. XXIV.)

T. spica simplici secunda ; spiculis ovato-acutis , sexfloris , aristatis, alternis.

T. maritimum : calycibus sexfloris ; flosculis secundis, apice aristatis : *Mant.* 2, *obs. p.* 325. *Viviani* , *Annal. Bot. I* , *p.* 2 , *p.* 152.

T. Hispanicum : *Reich. Syst. plant.* 1, *p.* 240, *n.* 8. *Wild. Spec. plant.* 1, *p.* 479.

T. Festucoides : *Bertol. Pl. Gen. p.* 25.

Festuca maritima ; spica lineari, secunda recta; flosculis adpressis , subaristatis. *Lin. Spec. Pl. p.* 110. — *Loefl. it. Hisp.* 44. (*edit. Germ.*).

Triticum unilaterale : *Villars Dauph. quoad descriptionem.*

Culmi caespitulosi ; 12-15 centim. alt., adsurgentes , simplices , rigiduli, tere-

tes, glabri, uti et tota planta, supremo internodio longiori, subnudo. Folia plana, patentia, sicca, involuta, brevia; vaginae striatae; stipula truncata, 1 millim. longa. Spica simplex, tenuis, 4-6 centim. longa. Rachis vix flexuosa; subtriangularis, latere postico-latiori, nudo. Spiculae alternatim, angustioribus rachis lateribus, adpressae, brevissimè pedicellatae; primum lanceolatae, oblongae, semine maturo, ovato-acutae, subcompressae, non ultra earumdem longitudinem remotae. Glumae calycinae subaequales, ovato-acutae, muticae, spicula dimidio breviores, altera 3nervi. Corollae gluma exterior conformis, marginibus albicantibus, membranaceis; nervo medio in aristam, valvulam ipsam aequantem, producto: gluma interior plana, inermis, obtusa, submembranacea; marginibus introrsum plicatis.

Differt a T. Halleri: spiculis non linearibus, sed ad figuram ovatam, etiam immaturo semine, tendentibus; flosculorum numero longe minori, spiculis constanter aristatis, staturâ duplo, triplove etiam minori ... a T. Tenello: spiculis non lineari-lanceolatis, valvularum, et totius plantae glabritie, aristâ longe breviori.

Reperi in Littore Ligustico, *Sestri di Ponente*. ☉

Obs. Planta haec, primum a Loeflingio suo in *itinere Hispanico* descripta fuit, interque Festucas collocata. In descriptione Loeflingiana, licet imperfecta, satis habetur, quo speciem nostram adumbratam videas. Pro synonimis a Loeflingio adiiciuntur: *Gramen pumilum loliaceo simile:* Raii Hist. et quae Rajanae phrasi adnectitur a Scheuchzerio descriptio Agr. p. 272. Hoc vero synonimon non omnino speciei nostrae congruit, quae ut idem Loeflingius advertit a Poae *rigidae* fructificatione recedit; Scheuchzerii vero planta omnino cum eadem, hac parte, convenit. Spiculae enim in specie nostra sessiles, ovatae, et aristatae sunt: contra in *Gram. panicula multiplici majore* Scheuch. seu in Poa *rigida*, sunt *pedunculatae*, *lineares*, *muticae*: qui characteres, dum Loeflingii plantam, eamdem speciem ac nostram esse demonstrant, Scheuchzerii synonimon alibi revocandum esse confirmant. Neque fortasse errant, qui varietatem Poae *rigidae*, eodem synonimo, expressam esse contendunt. Linnaeus in 2 edit. *Spec. Plant.* Loeflingii plantam inter Festucas retinuit, Scheuchzerii synonimo tantum, juxta paginae numerum 272, citato. Cum vero eâdem paginâ etiam Triticum *unilaterale* nostrum describatur, hinc hujus descriptio ad T. *Hispanicum*, seu Festucam *maritimam* in Linnaei et Loeflingii fidem vulgo relata; et magna inde parta confusio, non facile extricanda, quin Loeflingii originale opus denuo inspiceretur. At speciei hujus, postremo saltem, non satis Linnaeo constitisse eo patet, quod in *Syst. Nat.* edit. XII. reform. nulla ejusdem mentio reperiatur. In *Mantissa* vero *Obs. p.* 325. Festucam *maritimam*, Triticorum generi, associat, sic correcta phrasi; « T. *maritimum*; calycibus sexfloris, flosculis secundis, apice aristatis, *dicen-*

» *da ;* excluso synonimo Scheuch. cum flores omnino spicati sint » qua correctione nullus dubitandi locus relinquitur , plantam nostram Linnaeum hic designasse , et pro synonimo Scheuch. p. 272 (hoc loco saltem) non illud a Loeflingio citatum intellexisse , sed quod ad T. *unilaterale* retulimus : in hac vero correctione redigenda Linnaeo fortasse aufugerat, aliam Tritici speciem , *maritimi* nomine , jam recensuisse, omnino a Loeflingiana diversam : hinc Reichardius in sua Sp. Pl. edit. speciem nostram T. *Hispanici* nomine reproduxit , Loeflingii tantum synonimo , non vero Linnaei correctiore definitione recepta. Tanta confusione fortasse percitus Murrayus , neque Loeflingianae Festucae , neque ejusdem synonimorum ullibi meminit : si quid vero ex synonimo Gerardii *Galloprov.* (Festuca n. 9) quod ad T. *tenellum* Murrayus apposuit , arguendum est , eamdem hoc nomine confundisse probabile est , deceptus praecipue synonimo a Gerardio pro sua *Festuca* citato Moris. *Hist.* p. 182 , s. 8 , t. 2 , f. 3 , qua praesertim figura , habitus speciei nostrae quodammodo exhibetur. Idem silentium de hac specie, uti etiam de ejusdem synonimis , in *Diction. Encyclopedico.* Clar. Petagna in suis *Instit. Bot.* vol. 2 ; p. 209 speciem hanc , sub T. *tenelli* nomine , recensisse arbitror , licet T. *Hispanicum* Loeflingii , et Linnaei auctoritate memoret ; nam in Italia meridionali numquam verum T. *tenellum* , neque T. *Halleri* nostrum , repertum fuisse censeo. Villarsius , Loeflingii synonimo , reliquisque ad T. *unilaterale* spectantibus , suum T. *maritimum* composuit. Caeterum species haec valde rara , neque unquam in Hortis aliunde ditissimis , uti Ticinensi , Lugdunensi , et Parisiensi Academico , observavi. Hinc tabula sistendum esse duxi.

TRITICUM TENELLUM. (Tab. XXV.)

T. spica simplici : spiculis alternis , lanceolatis , compressis , scabris ; flosculis aristatis.

T. tenellum : calycibus subquadrifloris , flosculis muticis , acutis , foliis setaceis. *Linn. Sp. Pl. p.* 127 *cum synonimis. Viviani* , *Annal. Bot. Vol.* 1 , *p.* 2 , *p.* 154.

Festuca spica secunda recta ; spiculis compressis , subaristatis. *Ger. Flor. Gallo Prov. n.* 9 , *p.* 96.

Gramen loliaceum minus, spica simplici : *Bah. Pin.* 9 , *Prodr.* 19.

Gramen loliaceum foliis , et spica tenuissimis : *Moris. Hist.* 3 , *p.* 182 , *sect.* 8 , *t.* 2 , *f.* 3. *Tourn.* 517.

Festuca tenella : *plurium Catal.*

Triticum tenellum : *Lam. Fl. Franc.* exclusa varietate β , quae ad T. *unilaterale* spectat : item ejusdem Auctoris T. *tenellum Dict. Enc.* exclusâ var. β quae ad praecedentem speciem pertinet.

Culmus 3 decim. alt., simplex, erectus , sulcato-angulatus , tenuis , laevis : folia brevia 4-6 centim. longa , acuta , plana , 2 millim. lata , laevia : vagina internodiis paullo brevior , striata brevis , ore utrinque in ligulam brevissimam elevato,

medio nudo. Spica simplex 8-11 centim. longa, rachis sulcato-angulata, lineis albis longitudinaliter exarata ad spicularum insertionem annulo albo notata. Spiculae 5florae, alternae, adpressae, brevissimè pedicellatae, lanceolato-ellipticae, aristatae, scaberrimae. Valvulae calycinae lineares, acutae, margine membranaceo, nervo carinatae, spiculâ duplo breviores, inermes, altera paullo minori. Gluma corollae exterior lanceolata, dorso, nervo praesertim, scabra; margine membranaceo, in aristam 1/3 ipsius longitudine terminata; *interior* brevior, acuta, submembranacea.

Reperi in collibus maritimis Liguriae *nella Valle di Levanto.*

Hujus etiam specimina observavi in Herbario Griolet, a Molinerio, nomine Tritici maritimi, missa; caule elatiore, magis denudato, tereti, spicâ magis attenuatâ, locustis minus scabris; et paullo remotioribus: in reliquis, ita speciei huic congruentia, ut pro eadem, locis fortasse opacis culta, absque dubio recognoverim.

V. *Obs.* ad sequentem speciem.

TRITICUM HALLERI. (Tab. XXVI.)

T. spica simplici; spiculis alternis, linearibus, teretiusculis, muticis, 5-9floris. *Viviani*, *Annal. Bot. Vol.* 1, *p.* 2, *p.* 155.

T. radice fibrosa; foliis angustissimis, locustis muticis, folliculis ovatis, obesis. *Hall. Hist. p.* 212, *n.* 1430, exclusis *Linnaei*, *et Moris. synon. quae* ad T. tenellum *spectant.*

T. tenellum *var.* β spiculis teretioribus, et muticis : *Dict. Enc.*

T. tenellum *Willd. Sp. Pl.* I. 482: hic spectat brevis, quae additur descriptio: Synonima mixta cum praecedenti specie.

Culmi plures, basi tantum ramosi, adscendentes, altit. 3 decim. erecti, simplices, teretes, superne sulcati, nodis nigerrimis: folia plana, angusta, brevia, 6 centim. longa, 2 millim. lata, sicca, convoluto-setacea, margine retrorsum scabra. Vagina internodiis 1/3 circa minor, striata, sulcata, retrorsum aspera, marginibus superne membranaceis, utrinque in ligulam productis, ore interiore nudo. Rachis sulcato-angulata, 6-9 centim. longa. Spiculae alternae, disticae, glabrae, numero florum (4-10) et diametro variae: ante eflorescentiam ovato-acutae, teretes: semine maturo magis elongatae, compresciusculae, veluti lineari-ellipticae, 1 centim. longae: glumae calycinae lanceolatae, apice et margine submembranaceo; spicula triplo, fere, breviores, valvula altera paullo brevior, carinata,

obsoletè trinervata, obtusior, gluma corollae-exterior lineari acuta; anervia, mutica, rigidula, interior paullo brevior, obtusa, plana, dorso membranaceo, nervis lateralibus viridibus.

Reperi in Helvetia Cisalpina: *Lugarno*, in plateis.

Obs. Mirum videri potest, quomodo duo Triticorum species mox descriptae, eodem *tenelli* nomine confusae diù perstiterint, licet habitu, caeterisque caracteribus sint distinctissimae: attamen tanta reperiebatur, in hisce Triticorum speciebus, synonimorum confusio, ut olim recepta nomina unusquisque retineret, quin eorumdem improbi laboris concordantiam, adgrederetur. Ubi vero figurâ, et apta descriptione duo hae species illustrentur, nullum in iis discriminandis dubium supererit. Utrasque iisdem locis natalibus collegi: unde primum ab auctoribus evulgatae fuere: hinc facilius, et totius synonima propriis speciebus revocare potui. Speciem hanc nostram, eamdem esse ac Hallerii n. cit. ex Herbario ipsius Auctoris Parisiis nunc serbato, ex Hallerii Filii, magni in plantis patriis dignoscendis facienda auctoritate, tandem ex speciminibus eodem loco natali a me collectis, recognovi. Hallerus speciei huic T. *tenelli* synonimon Linnaei adposuit, reliquaque pro hac specie a Linnaeo citata, unico Gerardii excepto. Speciem suam Linnaeus primum a Sauvagesio habuisse videtur, quem citat, addito *Monspelli* pro loco natali, cum dubitationis nota (Sp. Pl. 127) In Syst. nat. edit. 12 T. *tenellum* eadem phrasi recenset, et quamvis omnia fere in hac editione omiserit synonima; illud tamen Gerardii pro hac specie servat, Festuca *num.* 96, quod ad nostrum T. *tenellum* spectat; quamvis in Festuca hac flores dicantur *subaristati*, et in definitione Linnaeana *mutici.* Hisce deduci posse arbitror: Linnaeum, phrasi quamvis minus apta, plantam Europae australis incolam, Mospelli primum a Sauvagesio, postea a Gerardio inventam descripsisse: huic reapse speciei, et nomen *tenelli*, et reliqui quadrant characteres a Linnaeo recensiti, nempe, *calyx subquadriflorus*, *culmi spithamei, teneri*, *filiformes*. Contra in T. *Halleri* calyx 5-8florus, et ultra, culmi rigidi, pedales, cubitales, bipedalesve. Speciei Linneanae optime congruit synon. a Lynnaeo ipso citatum *Moris*, *s.* 8, *tab.* 2, *f.* 5, minime vero T. Halleri n. 1430. Ergo T. *tenellum* Halleri diversa a Linnaeana species habenda est, quam distinctionis causa, inventoris sui nomine insignivimus. Caeterum non sine aliqua haesitantia Hallerum quoque Linnaei synonimum recepisse eo patet, quod in descriptione sui T. *tenelli* addiderit: *nomen* Tenelli *magnis exemplis non convenit*; itemque loc. cit. *Planta varia facie est*, *in Gallia callidiore humilis*, *et pauciflora*, *nobis altior*, *et locustis triplo majoribus.* Qua adnotatione phrasis Linnaeanae discrepantiam, speciei variationibus, adscribere nitebatur; at numquam tantas differentiae notas varietates pariunt: addi etiam potest, quod in Gallia australi nulla T. *Halleri* varietas, quod sciam, usque adeo inventa fuerit. Reichardus, et Willdenowius sine ulla discriminatione, Halleri synonimum ad T. *tenellum* Linnaei retulerunt, addita hujus auctoris prima definitione, nullo quidem pacto, cum Halleriana specie socianda. Lamark vero in sua *Fl. Franc.* verum T. *tenellum* Linn. descripsit, et in Encycl. huic optimè Gerardii synonimum adjecit, Gallia australi citata pro patria: plantam hanc, quam in H.

Parisiensi cultam esse dicit Auctor, in eodem horto anno 1803, T. *tenelli* nomine observari; in singulis, speciei nostrae consentaneam, spiculis, quam in specie loco natali collecta, paullo elatioribus. Idem Auctor T. *tenellum* Halleri in Fl. Franc. non memorat, in *Encycl.* vero hoc in var. β T. *tenelli* dubitanter recipit, phrasi: *spiculis teretioribus, et muticis*: Suspicor *tenelli* nomine in Petagna Instit. T. nostrum *hispanicum* haberi, aucta ex eo suspicione, quod T. *hispanicum* in eodem opere, Loeflingii, et Linnaei tantum auctoritate, recipiatur. Nam in littore Romano, et Hetrusco, a Neapolitano in plantis proferendis haud multum diversis, T. *hispanicum* frequenter inveni, nunquam vero *tenellum*. Descriptio Bahuini Prodr. pag. 19 imperfecta, ex loco vero natali (Monspellii) ad *tenellum* adduxi. Fortasse aptius inter Festucas reciperetur, quarum habitum omnino refert: a T. *Halleri* abunde distinctum; cum T. *hispanico* tantisper adfinitatis praesefert.

TRITICUM BIUNCIALE. (Tab. XXIV.)

T. spica simplici, imbricata, spiculis sessilibus, lineari-acutis, compressis, inermibus. *Viviani*, *Annal. Botan. I*, *p.* 2, *p.* 157.

T. biunciale: spicis basi ramosis, spiculis compressis, acuminatis, subquadrifloris. *Vill. Dauph.* exclus. syn. *Raii et Scheuchzerii*, quae ad var. *Poae rigidae* spectant; et *Ger. Flor. Prov.* quod ad T. *tenellum*.

T. biunciale: *Allion. in Auct. ad Fl. Ped.*

Culmi adscendentes, tenues, 12-16 centim. alti, superne angulati, foliis toti vestiti retrorsum asperiuscoli. Folia plana, angusta, 2 millim. lata, internodiis paullo longiora, laevia: vaginae striatae, glabrae, internodiis paullo breviores, stipula fere nulla: spica filiformis 9 centim. longa; rachis triangularis; latere postico nudo; spiculis, duobus lateribus angustioribus, alternatim adpressis, adproximatis, imbricatis. Spiculae 3-5florae, lanceolatae, sessiles, rachi adpressae. Calyx spiculâ dimidior brevior, valvulae muticae, altera lineari acuta, obsolete trinervata, lineari acuminata; altera paullo minor, conformis. Corollae gluma exterior lanceolato-acuta avenia, margine superiore, apiceque rufescens, interiori valvula tota fere membranacea, paullo acutior, et longior.

Reperi in Gallo-Provincia circa Viennam, et Avenionem. ⊙

Obs. Iisdem locis natalibus a Villarsio indicatis, circa Viennam inveni, ejusque specimina meis prorsus similia, ab amicis Botanices cultoribus Flugge, et Col'sman accepi, qui per eamdem regionem iter fecerant. In horum singulis spica minime *basi ramosa*, ut ait Villartius in definitione. Non ideo tamen Villarsii plantam a mea diversam credam; nam in descriptione Auctor ipse primae definitioni haud conformis, spicas non basi ramosas appellat,

sed spiculas singulas brevissimis pedicellis sustentatas; uti reapse habentur. Scheuchzerii synonimon plantam omnino diversam exibet, quam locis siccis supra muros Romae inveni, ubi etiam a Scheuchzerio reperta fuit. Haec varietas tantum haberi debet Poae *rigidae* et spiculis inermibus, a T. *biunciali* distinguitur, et valvulis minus acutis, pedunculis longioribus, quandoque ramulosis, ligulâ elongatâ. Cum Raii synonymon, quo a Scheuchzerio recensetur, ab acuratissimo Smithio ad T. *loliaceum* in *Fl. Britan.* reducatur, diversam a Scheuchzeriana speciem, Rajum, illa denominatione intellexisse, dicendum. Neque hujus loci est synonimon Gerardii, quod ad T. *hispanicum* spectat; ut flosculi, in Festuca hac artistati, mutici vero in T. nostro, demonstrant. Willdenowius speciem hanc non recenset, dubièque etiam a nonnullis de ea sentire cognovi. Hinc tabulâ eamdem sistere hand inutile duxi.

TRITICUM MARITIMUM.

T. culmo, et spicâ ramosâ; spiculis sessilibus, compressis, lineari-lanceolatis, flosculis muticis.

T. maritimum: *Linn. Sp. Pl.* 128 (excluso synon. *Moris.* quod ad *unilaterale* spectat.) *Linn. Syst. Veg. ed. XII.* (exclusis synonimis *Hudson. Fl. Angl.* 35 *Plukn. Ph.* 32, f. 7. *Raii Angl.* 3, *p.* 395) quae omnia ad *unilaterale* pertinent. Eadem corrigenda in *Sp. pl.* editionibus *Reichardii*, *Wilden. et Syst. veg. Murray. Lam. Dict. Encycl. II* 261. *Vahl. Symb. Bot. II p.* 26.-- *Cyrill. Pl. Neapol. fascic. II*, *p. II*, *Tab.* 2.

Festuca lanceolata Forsk *Descr.* 22.)
— — dictoma Forsk l. c.) ex fide Clar. Vahlii.

Poa panicula ramosa, floribus alternis sessilibus: - *Roy Lugd.* 274.

Gramen maritimum, paniculis asperis cristatis: *Boc. Mus. ad descriptionem p.* 135.

Gramen maritimum paniculis asperis loliaceis: *Bocc. l. c. ad figuram tab.* 95. (*fig. mala.*)

Gramen loliaceum, panicula ramosa, maritimum: *Bah. Th.* 30. *Scheuchzer. Agr.* 274.

Gramen maritimum panicula loliacea: *Bah. Pin.* 9. *Prod.* 19. *Tourn. I. R. H. p.* 517.

Gramen caninum maritimum paniculatum: *Raii Hist.* 1288.

Culmi adscendentes, ramosi, 18-24 centim. alt., teretes: folia plana, lineari-acuminata, glabriuscula: vaginae laeves, internodiis paullo breviores; ligula 2 millim. vix longa, truncata, lacera. Spica ramosa, rigidula, paniculata, 2-4uncialis.

Spicae rami angulati: spiculae sessiles, 7-9mflorae, compressae, 8 millim. longae 5 millim. circiter latae, lineari-lanceolata. Calycis glumae ovato-acutae, trinerves, spiculis duplo, triploque breviores, inermes; corollae glumae conformes. Semen oblongum.

Reperi secus mare in littore Romano prope Ostiam: Cyrillus in littore Neapoletano ♃

V. *Observationes* ad T. species antecedentes.

TRITICUM FARCTUM (Tab. XXVI, fig. 1.)

T. glaberrimum; spiculis alternis, adpressis, quinquefloris; calycibus spiculas subaequantibus, obtusis: culmo farcto.

Radix fibrosa, repens. Culmus simplex, erectus, 3-4 decim. altus, farctus, basi laxis vaginis foliorum cinctus, superne denudatus, striatus, tenax. Folia primum plana, glauca, profunde striata, in viva etiam planta cito per exsiccationem involuta, patentia, rigidula. Vaginae profunde striatae, apice quandoque, superiores praesertim, aphillae, unde culmi superne nudi apparent: ligula brevissima, truncata. Spica 8-12 centim. longa: spiculae ita in rachi excavata receptae et adpositae, ut culmo connatae videantur, alternae, ita remotae, ut inferioris apex, basim superioris adversae attingat: inferiores etiam remotiores. Spiculae obtusè ellipticae, compressae, quinqueflorae: Calycis glumae subaequales, striatae lineari-lanceolatae, obtusiusculae, latere exteriori latiori, interiori, seu quâ spiculae rachim respiciunt, angustiori. Gluma corollina exterior longitudine, et forma, glumae calycinae aequalis interior, marginibus inflexis, vix brevior. Tota planta glaberrima, nitida.

Reperi in littore Ligustico inter *Pegli*, et *Pra*, in Plaga occidentali.

Obs. A. T. *junceo*, cui habitu quodammodo accedit, distinctissimum, uti ex descriptione videre est, neque cum T. *fragili* Roth *Catal. Botan. p.* 7, congruit, attenta nostri glabritie, et culmo farcto, tenaci, non fragili. In tabulis graminum Clar. Hostii evolvendis Tritici speciem, hujus habitum praeseferentem observasse memini. At opus illud elegantissimum nunc mihi in praesto non est; neque speciei illius mentio in recentissima plantarum Synopsi a Personio redacta reperitur. Quidquid de Hostii specie sit, nostram loco natali collectam, et delineatam Botanicis exhibere haud distineor. Plantae enim, quae plagas meridionales, et maris litus praecipue pro Patria recognoscunt, difficillime immutata facie in hortis retinentur.

FINIS FASCICULI PRIMI.

I



II



III



IV



V



VI



VII




VIII.
2.
3.

IX



X

1.




XI
1.
3.
4.
2.

XII





XIII



XIV






XV



XV
I

XVI



XVIII




XVIII



XIX



XX






XI



XXII


XXIII
Fig 2.


XXIV






ticum Halleri
1.



